



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Disputatio XXI. An satis sit objectivæ Probabilioritatis, aut Probabilitatis
certitudo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)



TRACTATUS SEXUUS.

EXAMEN QVÆSTIONIS A' PLERISQVE
suppositæ, ut veræ, & à paucis Neotericis
negatæ, ut falsæ.

DISPUTATIO XXI.

*An satis sit objectivæ Probabilioritatis, aut Probabi-
litis Certitudo?*

P R O O E M I V M.

S U M M A R I U M.

*An Deipara caruerit omni errore materiali, n. 1.
Mens P. Suarez, n. 2.*

N. 1.



ONTROVERSIE præ-
fenti à nemine, quem ex
non paucis studiose evolu-
tis, præterquam a paucis
Modernis Probabilioristis
ex professio agitatur, immò
ab iisdem mordicus negatur,

ab alijs verò, vel obiter affirmatur, vel sup-
positæ, potius, quam ut par erat, discutatur,
lucem præferre debet, Mater luminum, Dei-
para. Quæritur à Divinæ Scripturæ Inter-
pretibus, necnon à T. T. num Deipara omni
prorsus etiam materiali mentis errore carue-
rit, sicut ab omni prorsus voluntatis culpa
constantissimè hodie colitur, & celebratur.
Affirmatur autem, & merito. At inquirunt,
quomodo hoc contingere potuit? Equidem
Deiparam inter homines nequissimos, &
quidem ad ignorantiam, mendacium, hy-
pocrisim, aliaque crimina pronissimos vi-
xisse, ijsque sæpe fidem dedisse, vix dubi-

Tom. III.

tari potest: igitur vel quotquot Deiparam
allocuti sunt, dixere semper verum materia-
liter, ut in re erat; hoc autem supra omnem
fidem est, nam ignorantibus mendacibus,
& impijs veritas æquè exosa, ac incognita
est: vel aliqui non dixere verum materiali-
ter? tunc autem Deipara eis fidem habendo
materialiter erravit. Accedit Deiparam Fi-
lium suum in comitatu inter notos quæsisse,
cùm tamen procul ab illis esset; ergo mate-
rialiter erravit iudicando Filium suum inter
cognatos latere.

Hoc dubium, ut in more habet, eminen- N. 2.
ter discutit Eximius Deiparæ Cultor, & Do-
ctor P. Suar. ejusque verba, quæ supra d.
11. n. 174. tradidi, iterum hic repetenda sunt.
Ait igitur tom. 2. in 3 p. d. 19. sect. 6. diluens
hoc ipsum argumentum de Filij inter notos
quæsitio. *Quia Beata Virgo habuit plenum
dominium suarum potentiarum, summamque
prudentiam, absque ullo inordinato motu, pote-
rat facile, numquam definitè judicare de rebus
incertis, sed vel suspendere iudicium, vel judi-
care hoc esse probabile, aut verosimile, vel appa-
rens, vel aliquid hujusmodi. Hæc enim existi-*

R

matia

matio sufficit ad operandum prudenter, & qui non vult se exponere periculo errandi, si perfecte dominatur suis actibus, cum hac moderatione iudicat; adeo ut ipsi etiam Beati de his rebus, quas certo non norunt, non aliter iudicium ferant, nisi Divina revelatione instruantur; quos in hac perfectione imitatum esse Beatam Virginem credibile est; cum & facile potuerit, & melius, & perfectius hoc fit.

N. 3. Hæc ad litteram P. Suar. quæ si à Modernis Adversariis negantibus ad sine peccato formali, & ad prudenter honestè formaliter operandum, satis esse iudicium evidens reflexum de probabilitate veritatis; sed necessarium semper, & indispensabiliter esse iudicium directum de veritate, etiam in rebus hinc inde inter T.T. valdè incertis; hæc, inquam, si lecta, & ponderata fuissent, nullus fuisset dubitandi, & multò minùs negandi locus; & quod caput est, nullus omnino accusandi nostrum discurrendi modum, tamquam omnium laxitatum originem: cum tamen Deipara, & Beati suomet in rebus incertis opinandi, & operandi modo rem totam in nostri favorem resolvant. At quia res, Deiparæ, & Beatorum exemplo satis explorata, in litem vocatur, & negatur, immò ut omnium laxitatum origo audiret, ideò rem totam accuratè pro nostro modulo digerendam duximus.

SECTIO I.

Status questionis, & advertenda.

S. I.

Status questionis.

SUMMARIUM.

Non est questio de reflexo iudicio supra licitum usum opinionis probabilis: sed questio est de iudicio reflexo supra probabilitatem, & probabilitatem, an satis illud sit, suspensio omni directo subjectivè probabilis, n. 4.

Cur ampliè questionem ad iudicium reflexum de objectivà probabilitate, aut certitudine morali? n. 5. 6. 7. 8.

Sicut questio de subjectivà probabilitate extenditur ad omnem sive aquè, sive magis, sive minus probabilem, ita etiam questio de objectivà probabilitate extendi potest, n. 8.

Immo extendo ad objectivam certitudinem moralem, an satis se solo sit iudicium reflexum supra illam, suspensio omni directo subjectivè certo, n. 9.

Explico, & expono exemplis questionem, n. 10. 11. 12.

Questio præsens inverso modo procedit, ac que-

stio de necessitate iudicii reflexi supra licitum usum, n. 13.

Questio est, an necessarium semper sit iudicium directum de veritate opinionis, an satis reflexum certum de probabilitate veritatis opinionis, n. 14. 15. 16.

Non est questio in præfenti de sufficienti conscientia directæ; certo probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, sumptæ formaliter, subjectivè, & exercitè, (sunt enim synonyma) sive præterea necessarium sit, sive non sit, aliud iudicium reflexum de licito usu cuiusvis opinionis practicæ certò probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, neque enim late discutimus d. 19. asserendo, necessarium non esse tale iudicium reflexum de licito usu cuiusvis opinionis practicæ certò probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur: sed se solâ satis esse conscientiam, seu opinionem directam certo probabilem subjectivè, & multò magis se solâ satis esse conscientiam directam certò probabilioris, aut moraliter certam subjectivè, ne quis formaliter peccet, aut ut quis honestè formaliter operetur. Sed questio est de ipsâ certâ probabilitate, aut probabilitate, aut certitudine morali, objectivè, & signatè, nempe, an ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis sit solum iudicium evidens reflexum de certâ opinionis probabilitate, aut probabilitate, aut certitudine morali, suspensio omni prorsus iudicio directo, subjectivè, exercitè, & formaliter probabilis, aut probabiliori, aut moraliter certo de veritate opinionis?

Et si autem præcipuum questionis præfentis, immò nostrum præfentis Disputationis intentum sit ostendere, quod ad honestè formaliter operandum, aut ad non formaliter peccandum satis sit iudicium reflexum de probabilitate, etsi minori, veritatis opinionis, dummodo illud iudicium reflexum sit evidens, aut certum, suspensio omni iudicio directo certo probabilis subjectivè, attamen quia in re valde difficili versamur, utpotè reflexâ, immò in re à Modernis Probabilioristis reprobata tamquam scandalosa, ideo ut pedetentim procedam, juxta morem eorum, qui in lubrico ambulant; & ut ab exordio questionis omnem scandalosi suspensionem à me avertam, non fui contentus proponere statum questionis, limitando illud ad solum iudicium certum de probabilitate veritatis opinionis, equali, aut minori, an

an hoc, inquam, satis se solo fit, ne quis formaliter peccet, aut ut honestè formaliter operetur, suspensio omni iudicio directo subiectivè, æquè, aut minùs probabili: sed ampliavi quæstionis statum ad omne iudicium reflexum certum de probabilitate, si-ve æquali, si-ve minori, si-ve maiori, si-ve de morali certitudine veritatis opinionis; nempe, an ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis se solo fit iudicium reflexum de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilitate, aut certitudine morali veritatis opinionis, suspensio omni prorsus iudicio directo subiectivè probabili, vel probabiliori, vel moraliter certo veritatis opinionis? Quod autem quæstio ampliari possit ad iudicium reflexum certum de probabilitate, aut certitudine morali, an hoc se solo satis sit sine iudicio directo probabiliori, aut moraliter certo, ostendam paulo post.

N. 6. Cur autem hoc præstiterim, & quæstionis statum ampliaverim etiam ad probabilitatem, & certitudinem moralem objectivam veritatis opinionis, non autem eum limitaverim ad solam æqualem, aut minorem objectivam probabilitatem veritatis opinionis; in causa fuit, primò, ut viam explanarem ad præcipuam nostram conclusionem, quâ asserimus, satis se solo esse certum de objectivâ probabilitate, si-ve æquali, si-ve minori, veritatis opinionis iudicium, suspensio omni prorsus iudicio directo, æquè, aut minùs, subiectivè probabili de veritate opinionis. Etenim si, ut ostendam, satis se solo est iudicium reflexum certum de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè moraliter certo, (quale tamquam necessarium adstruitur à Certitudinistis negantibus licitum sequi opinionem minùs tutam, nisi sit moraliter certa, ita ut satis non sit, quod sit longè probabilior) satis quoque erit solum iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè probabiliori. Rursus si satis est, ut docebo, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis sit solum iudicium certum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni directo subiectivè probabiliori, (quale necessarium docent Probabilioristæ, negantes licitum sequi minùs tutam; nisi sit probabilior) satis quoque erit solum iudicium reflexum certum de objectivâ, si-ve æquali, si-ve minori, probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè, si-ve æquè, si-ve minùs,

Tom. III.

certò tamen probabili.

Secundò, quia si res accuratè consideretur, status quæstionis complectens solum objectivam probabilitatem, æqualem, aut minorem, an se solo tale iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate, æquali, aut minori, veritatis opinionis, satis sit, suspensio omni iudicio directo certo probabiliori subiectivè, si-ve æquè, si-ve minùs; hic, inquam, status quæstionis locum habere potest, ampliando illum ad iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate, aut morali certitudine veritatis opinionis; an videlicet, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis se solo sit iudicium reflexum evidens de objectivâ probabilitate, aut certitudine morali veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè probabiliori, vel moraliter certo de veritate opinionis? Si ergo quæstionis status locum habere potest, non tantum ubi agitur de objectivâ probabilitate minori, aut æquali, sed etiam de objectivâ probabilitate, aut certitudine morali veritatis opinionis, ignoro cur non sit dilatandus ad ipsam objectivam certitudinem moralem, & probabilitatem veritatis opinionis.

Tertiò, quia sicut, dum quærimus de directâ subiectivâ probabilitate, extendimus quæstionem ad directam subiectivam veritatis opinionis probabilitatem, immò ad moralem certitudinem; quærimus enim, an licitum sit sequi opinionem stantem pro libertate, etsi minùs, aut æquè probabilem; vel saltem, an licitum sit sequi tunc tantum, quando stans pro libertate est probabilior; vel demum, an tunc tantum licitum sit sequi, quando stans pro libertate est moraliter certa? Ita, dum agitur quæstionem de objectivâ probabilitate, extendi etiam debet ad objectivam probabilitatem, aut moralem certitudinem veritatis opinionis. Ratio est; quia sicut queritur, an ne quis formaliter peccet, aut ut quis honestè formaliter operetur, satis sit solum iudicium evidens de certâ probabilitate objectivâ veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo certo probabiliori subiectivè; hoc autem negant Probabilioristæ: ita quoque queri potest, an satis sit solum iudicium evidens de objectivâ probabilitate, aut morali certitudine veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè probabiliori, aut moraliter certo?

Quartò, quia vel Certitudinistæ, qui negant licitum sequi stantem pro libertate, et si longè probabiliorem, nisi sit moraliter certa:

R. ij

certa:

certa: & Probabilioristæ, qui negant licitum sequi stantem pro libertate, nisi sit longè probabilior, interrogati à nobis, an ad fine peccato formali, aut cum honestate formali operandum, satis sit solum reflexum iudicium evidens de objectivâ morali certitudine, aut de probabilioritate veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subiectivè moraliter certo, aut probabiliori, vel, inquam, negant satis esse, vel affirmant? Si negant; rem evidentem negabunt, ut ostendam: si affirmant; eo ipso dant nobis idem fundamentum asserendi, satis quoque esse solum reflexum iudicium de certâ objectivâ probabilitate, sive æquali, sive minori, suspensio omni iudicio directo subiectivè certo probabili, sive æquè, sive minùs, ne quis formaliter peccet, aut ut quis honestè formaliter operetur. Etenim, quidquid dicturi sunt contra hanc assertionem de sufficientiâ iudicii evidenter quoad objectivam probabilitatem, minorem, aut æqualem, oriiri unice potest ex licito usu cujusque opinionis certo subiectivè probabilis; hæc autem omnia rejecta sunt, non autem ex peculiari difficultate, quam includat iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate. Si enim iudicium de certâ objectivâ probabilitate satis est, ut affirmare debent Probabilioristæ; ita per nos satis erit iudicium de certâ objectivâ probabilitate, et si minori, aut æquali.

N. Ne verò horum terminorum similitudo
10. confusionem pariat, nempe, certa objectiva probabilitas, certa objectiva probabilioritas, certa objectiva certitudo moralis; directâ subiectiva probabilitas, directâ subiectiva probabilioritas, directâ subiectiva certitudo moralis; ne, inquam, hi termini confundant, illustrabo exemplo, & quidem unice in certâ objectivâ probabilitate: si enim hæc se solâ satis est absque directâ subiectivâ probabilitate, ne quis formaliter peccet, aut ut quis honestè formaliter operetur, multò magis satis erit sola subiectiva probabilioritas, aut moralis certitudo sine subiectivâ probabilioritate, aut morali certitudine.

N. Hoc autem explico redeundo ad quæstio-
11. nis statum. Datur duplex opinio certo probabilis circa licentiam picturæ die festo; una certo probabiliter affirmat eam licentiam; altera eandem licentiam certo probabiliter negat: præscindendo modò, quæ sit probabilior, immò suppono utramque æquè probabilem. In hoc casu possum vel directè assentiri alterutri, vel neutri directè assentiri; quin omisso omni iudicio directo subiectivè formaliter probabili, concipere possum hoc,

aut illud iudicium reflexum certum de earum opinionum objectivâ probabilitate. Certo probabile est picturam die festo licere; certo probabile est picturam die festo non licere: ecce, si directè attentior alterutri opinioni assentiatur, aut neganti, iudicando, *Licet, vel non licet die festo pictura, tunc opinio certo probabilis, cui directè assentiatur, stabit subiectivè, exercitè, & formaliter in mente*; si verò neutri directè assentiatur, sed suspensio hoc utroque iudicio directo, *Licet, vel non licet die festo pictura*, concipiam certum, aut evidens de alterutrius, aut utriusque opinionis probabilitate iudicium; ex. gr. vel hoc, *Certo probabile est picturam die festo licere*, vel istud, *Certo probabile est picturam die festo non licere*; vel utrumque simul; non enim inter se opponuntur, cum ambo sint affirmativa de modo, tunc opinio certo probabilis, cuius probabilitati, non autem veritati, directè, & immediatè assentiatur, stabit subiectivè, & signatè in mente; etenim probabilitas veritatis opinionis, non autem veritas, est objectum, quod à meo iudicio reflexo directè, & immediatè affirmatur.

In præsentî quæritur, an sicut, juxta nos, N. rie quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis est, ut ipsa opinio certo probabilis practicè existat subiectivè in mente, sive præterea necessarium sit aliud iudicium certum reflexum de licito usu cujusvis opinionis certo probabilis practicè, subiectivè, & formaliter existentis in mente, ut sentiunt Reflexistæ tuentes hoc iudicium reflexum certum de licito usu opinionis certo probabilis practicè, existentis in mente, esse ultimum conscientie dictamen; sive tale iudicium reflexum supra licitum usum cujusvis opinionis certo probabilis practicè, subiectivè existentis in mente, necessarium non sit, ut nos docuimus d. 19. statuentes ipsam opinionem certo probabilem practicè, subiectivè existentem in mente, esse ultimum conscientie dictamen. Ita modò quæritur, an ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis se solo sit certum iudicium reflexum immediatè cadens supra certam probabilitatem veritatis opinionis: seu an satis sit, ut ipsa opinio certo probabilis existat purè objectivè, & signatè in intellectu; an præterea necessarium sit iudicium directum certo probabile cadens immediatè supra veritatem opinionis certo probabilis; seu, an necesse sit, ut ipsa opinio certo probabilis existat formaliter subiectivè, & exercitè in mente?

Quare, si res acutè ponderetur, manifestum erit, quòd controversia præfens in verto prius

prorsus incedat modo, ac ea, quam d. 19. agnoscit: ibi enim quaeritur, an praeter iudicium directum certo probabile, aut probabilius formaliter, & subjectivè existens, sit necessarium aliud iudicium certum reflexum de licito usu cuiusvis opinionis certo probabilis, aut probabilioris subjectivè existentis in mente, ut necessarium asserunt Reflexistae, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, opinando, & operando juxta certo probabilem, aut probabiliorē. Ego autem tale iudicium reflexum de licito usu cuiusvis probabilis, aut probabilioris, formaliter subjectivè existentis in mente, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, prorsus negavi esse necessariū; hic autem quaero, an praeter iudicium reflexum certum de probabilitate, aut probabilioritate, necessarium sit iudicium directum subjectivè formaliter probabile, aut probabilius, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, ut sentiunt aliqui Probabilioristae, & Certitudinistae?

N.
14.

Recolatur exemplum adductum duplicis opinionis, una quæ stet pro licentiā, altera pro non licentiā picturæ, quam utramque suppono certo probabilem, siue æquè, siue non æquè, quod modo non curo. Quaeritur, an ut licitè pingam die festo, satis se solo sit iudicium reflexum certum de probabilitate veritatis opinionis directæ, nempe hoc iudicium, *Certo probabile est licere die festo picturam*? An verò necessarium praeterea sit, ut adsit iudicium subjectivè formaliter probabile de veritate opinionis directæ, nempe hoc iudicium directum, *Licet die festo pictura*; quidquid deinde sit, an illud iudicium reflexum adsit, vel non? Si ut licitè, & honestè operer, necessarium indispensabiliter est iudicium directum absolutum de veritate opinionis certo probabiliter tuentis licere picturam, tunc illicita erit pictura, nisi iudicem certo probabiliter absolute opinionem affirmantem esse veram: si verò satis est, ut solam probabilitatem veritatis ejus opinionis iudicem esse veram, tunc omisso iudicio directo de veritate opinionis stantis pro licentiā picturæ, & unice formato iudicio reflexo de certā probabilitate veritatis opinionis stantis pro licentiā picturæ, tunc, inquam, licita erit volitio picturæ die festo.

N.
15.

Porro, ne pigeat Lectorem iterum reflectere, quaestionem habere posse locum, etiam in sententiā Probabilioristarum, & Certitudinistarum: cum enim utrique nostræ opinionis adversentur, eo ipso quod quaestio hæc locum habeat etiam in eorum sententiā, hinc

Tom. III.

invalida contra eosdem arma sumi possunt. Quod autem locum habeat, patet ex dictis paulo ante: ut enim quaeritur, an necessarium semper sit iudicium subjectivè probabile, & directum de veritate opinionis certo probabilis; an vero satis se solo sit iudicium reflexum de certā probabilitate, etiam minori, veritatis opinionis; ita idem quaeri potest tum in sententiā Probabilioristarum tuentium unice licitum usum opinionis minus tutæ, sed probabilioris; tum in sententiā Certitudinistarum tuentium unice licitum usum minus tutæ, sed moraliter certæ, nempe, an ne quis peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, satis se solo sit iudicium reflexum de certā objectivā probabilioritate, aut objectivā certitudine morali veritatis opinionis; an verò necesse prorsus sit iudicium directum subjectivè moraliter certum, aut probabilius de veritate opinionis, juxta quam aliquis operari vult?

N.

Idem patet ex paritate; ut enim d. 19. dixi, quod quaestio de necessitate iudicii certi reflexi supra licitum usum cuiusvis opinionis practicæ certo probabilis existentis subjectivè in mente, an vero satis sit quodlibet iudicium certo probabile practicè existens subjectivè in mente, ut sine peccato formali, aut ut cum formali honestate operemur; hæc, inquam, quaestio locum habere potest etiam in sententiā Probabilioristarum, immò & Certitudinistarum, nempe, an ne quis formaliter peccet, aut formaliter honestè operetur, sequendo opinionem probabiliorē, aut moraliter certam, subjectivè formaliter in mente existentem, satis sit, ut ipsa opinio moraliter certa, aut probabilior existat subjectivè in mente; an verò sit praeterea necessarium iudicium certum de licito usu cuiusvis certo probabilioris, aut moraliter certæ, subjectivè in mente existentis? Ita in nostro casu, hæc quaestio, an satis se solo sit iudicium reflexum de certā subjectivā probabilitate veritatis opinionis, an verò necessarium indispensabiliter sit iudicium directum certo probabile subjectivè formaliter existens in mente de veritate ipsius opinionis; hæc, inquam, quaestio locum habere potest etiam in sententiā Probabilioristarum, & Certitudinistarum, nempe, an ne quis formaliter peccet, aut formaliter honestè operetur, necessarium prorsus sit ipsum iudicium moraliter certum, aut certo probabilius subjectivè existens in mente, de veritate opinionis; an verò satis se solo sit iudicium certum reflexum de objectivā certitudine morali, aut probabilioritate veritatis opinionis, ita ut ipsa certitudo moralis,

R. iiij

aut

aut probabilioritas non nisi objectivè existat in mente, seu sit objectum immediatè affirmatum ab ipso iudicio reflexo evidenti.

§. II.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Varietas T.T. opinando ostendit limitationem humanæ mentis, & docet demissè de se sentendum, n. 17.

Quam mira in re præsentis Theologorum varietas, & contrarietas, à n. 18. ad 22.

Judicium cadens supra probabilitatem aequalem, aut inaequalem debet esse certum, n. 23.

Semper necessarium est iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate, n. 24. 25.

Non est faciendus transitus à iudicio reflexo supra licitum usum opinionis subjectivè probabilis, aut probabilioris, ad iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate opinionis, n. 26.

Triplex potest esse in præsentis questio, n. 27.

Lis tota reducitur, an licitum sit operari sub solo iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis, suspensio omni directo subjectivè probabili, aut probabiliori de ejusdem veritate? n. 30.

An autem hoc liceat, etiam stante iudicio directo de falsitate opinionis, quam sequor, perinde est pro præsentis questione; sive hoc affirmetur, sive negetur, n. 30. 31.

N.
17.

Primo præterire nequeo miram Theologorum inter se opinandi contrarietatem, non tantum ut humanæ mentis ignorantia constet, quantum, ut experientia ipsa discamus, nostris opinionibus non multum fidere, nec cuique opinioni propriæ fictitiæ certitudinem moralem, aut fixam, & firmam veritatis determinationem appingere, prout moris est Probabilioristis, & Certitudinistis, qui cuilibet propriæ opinionis firmam veritatem, aut certitudinem moralem tribuunt.

N.
18.

Aliqui enim ex T.T. nempe Reflexistæ, tam Probabilistæ, quam Probabilioristæ (sunt enim aliqui Probabilioristæ, qui sunt Reflexistæ, ut dixi d. 19. sect. 4.) contendunt, quod præter iudicium directum subjectivè, & exercitè probabile, aut probabilius, ne quis formaliter peccet, aut formaliter honestè operetur, & de utroque certus sit, requiratur reflexum certum de licito usu cuiusque opinionis directæ, certò probabilis, aut probabilioris, subjectivè existentis in mente iudicium; adeo ut si hoc certum reflexum iudicium desit, eo ipso peccabitur

formaliter, quatenus homo operabitur sine iudicio certo de non peccato formali, & de formali honestate operationis.

E contra alij tam Probabilistæ, nempe P. Sanch. P. Vasqu. quam Probabilioristæ, nempe P. Eliz. P. Thyrs. Palanco, & alij negant necessarium esse tale iudicium reflexum certum de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris, sed satis esse directum certò probabile, aut probabilius.

Similiter loquendo, non de iudicio certo reflexo supra licitum opinionis probabilis, aut probabilioris usum, sed de iudicio reflexo supra certitudinem probabilitatis, aut probabilioritatis, aliqui T.T. tam Probabilistæ, quam Probabilioristæ docent, quod ad sine peccato formali, aut cum formali honestate operandum, satis se solo sit, vel solum iudicium directum exercitè, & subjectivè probabile, aut probabilius sine iudicio reflexo de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis; vel satis se solo esse solum iudicium reflexum de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis, sine iudicio directo certò probabili, aut probabiliori, subjectivè existente in mente.

Econtra alij negant necessarium, immò, quod plus est, negant satis esse se solo iudicium reflexum de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis; quin affirmant necessarium semper esse, immò se solo satis esse iudicium directum subjectivè probabile, aut probabilius de veritate opinionis, ne quis formaliter peccet, & ut quis honestè formaliter operetur.

Ecce insignis Theologorum inter se contrarietas. Iudicium directum subjectivè probabilius de veritate opinionis se solo satis est, ne quis formaliter peccet, & ut quis honestè formaliter operetur, nec necessarium est, immò insufficiens prorsus est solum iudicium reflexum de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis directæ. Ita P. D. Thyrsus, P. Muniel. Palanco, P. D. Gonet. M. Mercor. P. Eliz. & alij. Tam iudicium directum subjectivè certò probabile, vel probabilius de veritate opinionis se solo satis est, quam se solo satis est iudicium reflexum de certâ objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis. Ita Probabilistæ, & ex Probabilioristis M. Pasterinus, & P. Scild.

Secundò præterire nequeo, quod si iudicium reflexum cadens supra licitum usum cuiusvis opinionis certò probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, sit moraliter certum, sive non sit moraliter certum

attamen indubitabile est, quod iudicium reflexum cadens supra objectivam probabilitatem, aut probabilioritatem, aut moralem certitudinem veritatis opinionis, esse debeat evidens, aut certus, nisi enim certitudo moralis, aut probabilioritas, aut probabilitas objectiva veritatis opinionis sit certa, aut evidens, non licet sequi ullam opinionem subjective probabilem, aut probabiliorē, aut moraliter certam, ut plerique merito supponunt, & ego fusc ostendi d. 18. sect. 3. ut enim aliquam opinionem licite sequar, debet mihi esse certo probabilis, aut probabilior, aut moraliter certa; seu deo saltem esse certus de objectivā certitudine morali, aut probabilioritate, aut probabilitate veritatis opinionis.

Tertio præterire nequeo, quod sive iudicium reflexum certum de licito usu cuiusvis opinionis subjective probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, sit necessarium, præter iudicium directum subjective certo probabile, aut probabilis, aut moraliter certum, sive, inquam, hoc iudicium reflexum sit necessarium, ne quis formaliter peccet, & ut quis honeste formaliter operetur, ut volunt Reflexistæ; sive illud iudicium reflexum necessarium non sit, ut nos docuimus; hoc tamen indubitabile est, quod ne quis formaliter peccet, aut ut quis honeste formaliter operetur, necessarium semper sit prævium iudicium reflexum evidens, aut certum de objectivā probabilitate, aut probabilioritate, aut certitudine morali veritatis opinionis. Etenim aliud est, quod, ne formaliter peccem sequendo opinionem certo subjective probabilem, aut probabiliorē, necessarium non sit iudicium certum reflexum de licito usu cuiusvis opinionis subjective certo probabilis, aut probabilioris; aliud est, quod, ne formaliter peccem sequendo opinionem certo subjective probabilem, aut probabiliorē, necessarium non sit iudicium reflexum certum, aut evidens de certā objectivā probabilitate, aut probabilioritate opinionis. Illud d. 19. negavimus necessarium: hoc d. 18. necessarium affirmavimus; nec iudicium reflexum certum (si tamen est certum) de licito usu cuiusvis opinionis certo subjective probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ confundi debet cum iudicio reflexo certo, aut evidenti de certā objectivā probabilitate, aut probabilioritate, aut morali certitudine veritatis opinionis.

Dixi, si certum est iudicium reflexum de licito usu cuiusvis opinionis subjective certo probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ; nam Probabilioristæ contra Pro-

babilitas negant concipi posse iudicium moraliter certum de licito usu cuiusvis opinionis certo probabilis; nos tamen diximus concipi posse, si præmissæ formentur, ut a nobis formantur; & satis est, ut iudicium illud reflexum sit Probabilistis moraliter certum. Similiter Certitudinistæ negantes licitum sequi opinionem probabiliorē minus tutam, negant formari posse iudicium moraliter certum de licito usu opinionis certo probabilioris minus tutæ; attamen ipsi Probabilioristæ tuentur posse tale certum iudicium formari, non quidem certum ipsis Certitudinistis, sed certum ipsis Probabilioristis. Demum negantes ne quidem satis esse moralem certitudinem veritatis opinionis minus tutæ, ut eam licite sequamur, sed necessario debere opinionem esse in se veram, & saltem requiri evidentiam moralem veritatis, negant formari a Certitudinistis posse iudicium certum de licito usu cuiusvis opinionis moraliter certæ minus tutæ; attamen ipsi Certitudinistæ contra hos Doctores pro solā veritate militantes, aut pro evidentia veritatis opinionis minus tutæ, ut eam licite sequamur, dicunt formari a se tale iudicium certum, etsi ab Adversariis non formetur.

Quarto præterire nolo, non esse in præfenti permittendum transitum à iudicio reflexo supra licitum usum cuiusvis opinionis subjective certo probabilis, aut probabilioris, aut moraliter certæ, (quod iudicium reflexum, si sit, si non sit, immo repugnet, ut sit moraliter certum, nihil modo contendo) ad iudicium reflexum cadens supra certam objectivam certitudinem moralem, aut probabilioritatem, aut probabilitatem veritatis opinionis directæ, quod semper debet esse certum. Sicut enim ad sine peccato formali, aut cum honestate formali operandum nullatenus satis est opinio subjective probabilis, aut probabilior, nisi sit certo probabilis, aut probabilior, ita neque satis erit ipsa opinio objective probabilis, aut probabilior, nisi ea objectiva probabilitas, aut probabilioritas sit moraliter certa, aut evidens. Atque adeo suppono tanquam indubitatum, quod ipsa objectiva probabilitas, aut probabilioritas debeat, immo sit moraliter certa, aut evidens, ut quæstioni locus sit.

Quinto præterire nolo triplicem hic esse N. posse questionem. Prima est, an liceat operari sub solo iudicio certo reflexo de objectivā probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis, suspensio omni prorsus directo iudicio, subjective probabili, aut probabiliori, tum de veritate, tum de falsitate opinio-

N. 14.

N. 26.

N. 27.

N. 25.

opinionis directæ? Secunda est, an liceat operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis directæ, conjuncto tamen cum iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori de veritate ejusdem opinionis? Tertia est, an liceat operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis directæ, conjuncto tamen cum iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori de falsitate ejusdem opinionis? Etenim non repugnat, ut dum iudico opinionem A esse certo probabilem, simul probabiliter iudicem esse falsam; hoc enim toties evenit, quoties stamus inter opiniones inter T.T. valde incertas; quilibet enim, si eâ, quam decet, modestiâ, ratiocinetur, alienam, quam iudicat falsam, iudicat simul esse sibi certo probabilem: ergo non repugnat, ut simul, & semel concipiam hæc duô iudicia; unum reflexum certum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis directæ; aliud directum incertum pure probabile de falsitate ejusdem opinionis certo probabilis objective.

N.
28.

Porro ex triplici quæstione allatâ, secunda à nemine negatur juxta principia, quæ quilibet sibi statuit circa licitum usum opinionis subjective probabilis, aut probabilioris. Qui enim docent licitum usum cujusvis opinionis subjective probabilis, eo ipso affirmabunt, licitum operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, conjuncto cum iudicio directo subjective probabili de veritate ejus opinionis. Qui verò unice admittunt licitum usum opinionis subjective probabilioris, eo ipso negabunt licitum operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, etsi unito cum iudicio directo subjective probabili de veritate ejus opinionis, & unice affirmabunt licitum operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilioritate veritatis opinionis, unito cum iudicio directo subjective probabiliori de veritate ejus opinionis: ergo secunda quæstio à nemine juxta principia à se statuta negari potest.

N.
29.

Quapropter tota lis reducitur ad primam, & tertiam quæstionem. Prima erat, an liceat operari sub solo iudicio reflexo certo de probabilitate, aut probabilioritate objectivâ veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori de veritate ejusdem opinionis? Tertia, &

longè difficilior erat, an liceat operari sub iudicio reflexo certo de probabilitate, aut probabilioritate objectivâ veritatis opinionis, conjuncto, non quidem cum iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori de veritate ejusdem opinionis; sed conjuncto cum iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori de falsitate ejusdem opinionis? ex. gr. an liceat operari sub hoc iudicio reflexo certo de probabilitate, conjuncto cum hoc directo subjective probabili, aut probabiliori de falsitate ejusdem opinionis, *Certo probabile est picturam licere, attamen iudico non licere.*

Hæc autem tertia quæstio à nobis late discussa fuit d. 12. ibi enim ostendi, quod possimus, tam retentâ, quam dimittâ propriâ opinione, opinari, & operari juxta antiquam. Hoc scio, quod in ordine ad quæstionem sequentibus Disputationibus discutendam nihil prorsus conducatur hæc tertia quæstio: si ve enim liceat, si ve non liceat operari sub iudicio directo speculativo subjective probabili, aut probabiliori de opinionis falsitate, conjuncto cum iudicio reflexo certo de ejusdem opinionis falsâ probabilitate, non inde inferitur quod non liceat operari sub solo iudicio reflexo de certâ probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni prorsus iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori, versante circa opinionis veritatem, aut falsitatem.

Ratio est manifesta; quia non licentia operandi oriri potest ex complexo utriusque iudicii, quorum unum est directum de opinionis falsitate, ex. gr. *Non licet commutationem officij*; alterum est reflexum, & certum de probabilitate veritatis ejusdem opinionis falsæ, ex. gr. *Certo probabile est licere commutationem officij.* E contra, si omne iudicium directum suspendatur, adest unice iudicium reflexum certum, nempe, *Certo probabile est licere officij commutationem*; quidquid sit, an opinio practica asserens licere, sit speculative vera, aut speculative falsa: ergo ex eo, quod non liceat operari sub iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, conjuncto cum iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori, de falsitate ejusdem opinionis directæ, non inferitur, quod illicitum quoque erit operari sub solo iudicio reflexo de certâ probabilitate objectivâ veritatis opinionis, separato ab omni iudicio directo de ejusdem opinionis certo probabilis falsitate.

SEC.

SECTIO II.

Mea mens circa sufficientiam, aut insufficientiam solius iudicii reflexi evidens, de objectivâ Certitudine morali, aut Probabilitate, aut Probabilitate veritatis opinionis.

§. I.

Conclusiones.

SUMMARIUM.

Dico satis se solo iudicium reflexum evidens de morali certitudine veritatis, suspensio directo moraliter certo de veritate opinionis, n. 33.

Satis quoque se solo iudicium reflexum de objectivâ probabilitate, suspensio omni directo de veritate, & omni reflexo de minori probabilitate, n. 34.

Satis etiam se solo iudicium reflexum de equali probabilitate, n. 35.

Satis demum se solo iudicium reflexum certum de minori probabilitate objectivâ, suspensio tum omni reflexo certo de maiori objectivâ probabilitate, tum directo subjectivè minus probabili de veritate opinionis, n. 37.

In quo conveniant dictæ conclusiones, n. 38.

In quo disconveniant, n. 39. 40. 41.

Sermo in presenti semper est de suspensione omnis iudicii, tum certi reflexi de probabilitate, aut probabilitate oppositi, tum directi compossibilis cum reflexo certo de probabilitate, aut probabilitate veritatis opinionis, ib. & 42.

Certitudo, & probabilitas sumi potest respectivè, & absolute. Quid utraque? n. 43. 44.

Si opinio est mihi moraliter certa, opposita non est probabilis, si vero est tantum probabilior, opposita est minus probabilis, n. 45.

Et ideo cum iudicio reflexo certo de objectivâ morali certitudine opinionis non fiat aliud reflexum de objectivâ probabilitate; fiat autem cum reflexo certo de objectivâ probabilitate aliud reflexum certum de objectivâ minori probabilitate, ibid.

Est quoties una est certo probabilior, opposita sit certo probabilis, non tamen quoties una est certo probabilis, opposita etiam est certo probabilis, n. 46.

Si veritas opinionis A est certo probabilis, etiam falsitas ejusdem opinionis A est talis; & veritas opinionis B est etiam talis, n. 47.

Quantum augetur probabilitas veritatis unius opinionis, tantum decrevit probabilitas falsitatis ejusdem, & veritatis opposita opinionis, ibid.

In presenti omnes propositiones sunt modales, & non transcendunt ad absolutas, n. 48.

Modalis nil absolute affirmat de veritate, sed unice modum veritatis, ibid.

Potest modus esse certo verus, & dictum esse evidenter falsum, n. 49.

Nulla illatio a certitudine morali, aut probabilitate veritatis ad veritatem, n. 50. 51.

L Oquor in presenti unice, & præcisè de N. solo iudicio evidenti reflexo supra objectivam certitudinem moralem, aut probabilitatem, five maiorem, five æqualem, five minorem, veritatis opinionis; & quero, an tale iudicium reflexum evidens de solâ objectivâ certitudine morali, aut probabilitate, five maiori, five æquali, five minori, se solo, seu ut separatim ab omni alio iudicio, five evidenti reflexo supra objectivam probabilitatem veritatis opinionis oppositæ, five directo subjectivè moraliter certo, aut probabili, sit satis ad fine peccato formali, aut cum formali honestate operandum? Ut autem mea mens facili patet, pono sub unicum conspectum conclusiones, seorsim tamen probandas, tantò magis, quòd una plurimum prodest alteri, & veritas unius longè clarior, aditum parat veritati alterius non ita notæ.

Dico 1. Ad fine peccato formali, & ad N. honestè formaliter operandum, satis se solo est iudicium reflexum evidens de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subjectivè moraliter certo de ejusdem opinionis veritate.

Dico 2. Ad fine peccato formali, & ad formaliter honestè operandum, satis se solo est iudicium reflexum evidens de objectivâ probabilitate practicâ veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subjectivè probabili practice de veritate, & omni directo minus probabili de falsitate ejusdem opinionis, (si hoc est possibile) immò suspensio quoque omni iudicio reflexo evidenti de minori objectivâ probabilitate falsitatis ejusdem opinionis, si tale iudicium reflexum de minori probabilitate falsitatis possibile sit.

Dico 3. Ad fine peccato formali, aut cum N. formali honestate operandum, satis se solo est iudicium reflexum evidens de objectivâ equali probabilitate practicâ veritatis opinionis, suspensio tum omni iudicio directo subjectivè practicè probabili tam de veritate, quam de falsitate ejusdem opinionis; tum omni reflexo evidenti de objectivâ equali probabilitate falsitatis ejusdem opinionis, seu, quod idem est, æquali objectivâ probabilitate veritatis opinionis oppositæ.

Dico 4. Ad fine peccato formali, aut honestè formaliter operandum, satis se solo est iudicium

judicium reflexum evidens de minori, certâ tamen objectivâ probabilitate practicâ veritatis opinionis, suspensio tum omni judicio evidenti reflexo de objectivâ probabilitate falsitatis ejusdem opinionis; tum omni judicio directo subjectivè minus, certò tamen probabili de ejusdem veritate; tum omni directo subjectivè probabili de ejusdem falsitate.

N. 37. Hæc est mea mens, loquendo præcisè de judicio evidenti reflexo supra objectivam certitudinem moralem, aut probabilitatem, five maiorem, five æqualem, five minorem veritatis opinionis, ut separato ab omni alio judicio, tum evidenti reflexo supra objectivam probabilitatem, aut probabilitatem falsitatis ejusdem opinionis; tum ab omni judicio subjectivè magis, aut æquè, aut minus probabili directo de veritate ejusdem opinionis. Loquor autem, & semper locutus sum de probabilitate opinionis practicæ, ne idem sæpius repetam.

N. 38. Porro omnes dictæ assertiones in hoc conveniunt, tum quod, ne formaliter peccem, & ut honestè formaliter operer, *satis se solo sit* judicium evidens reflexum supra objectivam certitudinem moralem, aut objectivam maiorem, æqualem, vel minorem probabilitatem veritatis opinionis: tum quod in omni assertionem unicè loquor de solo judicio evidenti reflexo supra objectivam certitudinem, aut probabilitatem, æqualem, vel inæqualem veritatis opinionis. Nullatenus autem in præsentem loquor de judicio evidenti reflexo supra dictam objectivam certitudinem, aut probabilitatem, five æqualem, five inæqualem veritatis opinionis, ut unito cum alio judicio, five evidenti reflexo supra probabilitatem falsitatis ejusdem opinionis, five directo subjectivè probabili, aut probabili de veritate, aut falsitate opinionis. Unicè enim loquor de dicto judicio evidenti reflexo supra certitudinem, aut probabilitatem veritatis, ut separato *saltem* ab omni judicio directo subjectivè probabili de veritate, aut falsitate opinionis; immò etiam ut separato ab omni judicio evidenti reflexo supra probabilitatem falsitatis opinionis; quâvis de hoc nobis vix ulla sit difficultas, ut ostendamus.

N. 39. Disconveniunt dictæ assertiones primò, quod prima loquitur de judicio evidenti reflexo supra objectivam certitudinem moralem veritatis opinionis; secunda de judicio evidenti reflexo supra objectivam probabilitatem veritatis opinionis; tertia de evidenti reflexo supra objectivam æqualem probabilitatem veritatis ac falsitatis ejusdem

opinionis; quarta de evidenti reflexo supra objectivam minorem, certam tamen probabilitatem veritatis opinionis.

Disconveniunt 2. quod quia certitudo moralis de veritate unius extremi reddit extremum oppositum improbabile quoad veritatem, hinc est, quod quia in primâ assertionem loquor de judicio evidenti reflectente supra certitudinem moralem objectivam veritatis opinionis, ideo nullam feci mentionem de suspensione judicii evidenter reflecti cadentis supra certitudinem moralem falsitatis ejusdem opinionis. Etenim implicat, ut si opinio A est mihi certo moraliter vera, sit aut possit mihi esse certò moraliter falsa. Similiter implicat, ut si mihi evidens est certitudo moralis veritatis opinionis, concipere possim judicium directum subjectivè probabile de ejus falsitate, & ideo nec de hoc ullam feci mentionem. Ratio est: quia ut dixi, eo ipso quod detur certitudo moralis de veritate unius extremi, repugnat, ut detur probabilitas de veritate extremi oppositi, & multò magis, ut formare possim judicium subjectivè probabile de veritate hujus extremi oppositi.

Econtra quia in tribus aliis assertionibus loquor de judicio evidenti reflexo cadente, non supra objectivam certitudinem moralem veritatis, sed supra objectivam probabilitatem æqualem, aut inæqualem veritatis, ideo in illis mentionem feci de suspensione, tum judicii evidenter reflecti cadentis supra probabilitatem æqualem, aut inæqualem falsitatis; tum judicii directi subjectivè probabilis de veritate, aut falsitate opinionis. Ratio est, tum quia utrumque extremum potest simul esse certò probabile, nam certitudo probabilitatis, aut probabilitatis de veritate non excludit aliud judicium reflexum certum de probabilitate, aut probabilitate falsitatis ejusdem opinionis: tum quia cum judicio evidenti reflexo de certâ probabilitate, aut probabilitate veritatis extremi A, stare potest judicium directum de ejusdem veritate, immò de ejusdem falsitate; etenim sæpe opinionem oppositam meæ judico evidenter certò probabiliter veram, & simul judico esse falsam. Propter hoc in reliquis assertionibus mentionem feci de suspensione omnis judicii tum evidenter reflecti de probabilitate, aut probabilitate oppositi; tum directi compossibilis cum judicio reflexo evidenti de certâ probabilitate, aut probabilitate veritatis opinionis.

Hæc mihi clara sunt; quia tamen aliquibus fortè, qui huic materiæ non tantum quantum ego, infudarunt, obscuritatem aliam quam

quam præferre possunt, ideo alibi explicata, iterum infra explicabo, ostendendo, quod non tantum possit quis licite operari sub hoc solo iudicio reflexo, *Certò probabile, aut certò probabilius est licere*, sed etiam licitum sit operari sub eo iudicio unito, vel alteri reflexo de certà probabilitate, aut probabilioritate oppositi, vel alteri directo subjective probabili, aut probabiliori de non licentiâ, adeo ut licitum sit operari sub his iudiciis simul existentibus, *Certò probabile est licere picturam, certò probabile est eam non licere*; siue probabilius sit, quod liceat potius, quam non liceat; siue econtra probabilius sit, quod non liceat potius, quam liceat: immo sub his simul existentibus, *Non licet pictura, certò tamen probabile est, quod liceat*; illud est directum subjective probabile, aut probabilius; hoc est reflexum de objectivâ probabilitate licentiæ.

N. 43. Modo moneo 1. certitudinem, & probabilioritatem, aliam esse absolutam, aliam respectivam, ut dixi d. 9. de evidentia credibilitatis. Certitudo absoluta est, quæ talis est respectu plerorumque; respectiva est, quæ talis est respectivè ad tale subiectum. Idem dico de probabilioritate: absoluta est, quæ talis est respectu plerorumque; respectiva, quæ talis est respectu talis subiecti; sæpe enim accidit, ut aliqua opinio, quæ à plerisque putatur minus probabilis, sit respectivè ad tale subiectum probabilior; & sæpe accidit, quod aliqua opinio, quæ à plerisque putatur tantum probabilis, aut probabilior, sit moraliter certa respectivè ad tale subiectum. Porro dum dixi 1. & 2. *conclusione*, satis esse evidens iudicium reflexum de certitudine morali, aut de probabilioritate veritatis opinionis, complector utramque certitudinem, & probabilioritatem, nempe tum absolutam, tum respectivam.

N. 44. Quare, si quis invincibiliter opinionem suam directam putet moraliter certam, siue hæc putetur ab omnibus certa, siue tantum à se, poterit sub solo reflexo de eâ objectivâ certitudine veritatis opinionis iudicio honestè operari, etsi omne directum subjective moraliter certum iudicium de ejus opinionis veritate suspendat: ex.gr. si quis hoc tantum iudicium reflexum certum concipiat, *Opinio stans pro licentiâ picturæ die festo, est mihi certò moraliter vera*; poterit pingendo operari formaliter honestè, etsi ejusdem opinionis veritati sibi moraliter certè non assentiatur directè, immo omne iudicium circa veritatem suspendat, & unicè concipiat iudicium circa objectivam moralem certitudinem veritatis ejus opinionis. Idem dico proportionaliter

de probabilioritate; si quis enim invincibiliter putet suam opinionem esse sibi probabiliorē, etsi plerisque non sit, poterit iste formato solo iudicio reflexo certo de objectivâ notoriâ sibi probabilioritate veritatis sue opinionis, & suspensio omni directo subjective sibi probabiliori de ejus opinionis veritate, licite operari.

Monco 2. me in 2. *conclusione* dixisse, suspensio omni iudicio evidenti reflexo de minori objectivâ falsitatis probabilitate, si tale iudicium est possibile. Sicut enim si habeo certitudinem moralem de veritate hujus opinionis, *Licet die festo pictura*, implicat, ut habeam probabilitatem aliquam de falsitate ejusdem opinionis, aut de veritate opinionis oppositæ: ita econtra, si de veritate hujus opinionis, *Licet die festo pictura*, habeo evidentiam objectivâ probabilioritatis de ejusdem veritate, eo ipso habere possum evidentiam minoris probabilitatis objectivæ de ejusdem falsitate, aut de veritate oppositæ. Quia verò Moderni Probabilioritæ hanc doctrinam aliâ certam, quod sola certitudo moralis excludat probabilitatem oppositi, & quod notoria probabilioritas unius extremi stet cum minori, verâ tamen probabilitate oppositi, ut nobiscum tuctur etiam Fogar. Fogar. nus d. 3. part. 1. à n. 37. contra P.D. Thyri. P. Thyri. gratis omnino negant; & simul, & semel à Certitudinistis recedunt, & accedunt: recedunt, quatenus docent, quod ut licite sequar opinionem pro libertate, satis sit, ut sit longè probabilior; at Certitudinistæ volunt, quod debeat esse moraliter certa: accedunt, quatenus probabilioritatem cum certitudine morali confundunt, negantes, quod minus probabilis sit probabilis ei, cui opposita est probabilior; atque adeo negant, quod cum iudicio certo de objectivâ veritatis probabilioritate stet iudicium certum de minori probabilitate objectivâ falsitatis ejus opinionis; docent enim, quod si opinio A est probabilius vera, non sit probabile, quod sit falsa; ideo ut ab hac doctrinâ à nobis sæpe impugnata præscinderem, dixi in 2. *conclusi.* suspensio omni iudicio evidenti de minori objectivâ falsitatis probabilitate, si tale iudicium est possibile; negant enim esse possibile; volunt enim, quod si veritas opinionis A est probabilior, non sit probabilis falsitas ejusdem opinionis A, aut veritas opinionis B oppositæ.

Monco 3. quod licet non sit semper verum, quod quoties una est probabilis, ejus contradictoria sit etiam probabilis, ut ostendi contra Caram. ita neque semper est verum, quod quoties una ex contradictoriis est certò

certo probabilis, alia quoque sit certo probabilis: attamen verum semper est, quod quoties una est certo probabilior, alia opposita est semper minus probabilis; & quoties una est minus probabilis, alia opposita est probabilior. Ratio est; quia non repugnat concipere unum positivum sine alio; at repugnat concipere unum relativum sine alio: ergo si una ex contradictoriis est certo probabilis, non sequitur, quod alia talis etiam sit: e contra si una est probabilior, sequitur, quod opposita sit minus probabilis.

N. 47. Monco 4. quod licet ita sit, quod quoties una est probabilis, non semper ejus opposita sit etiam probabilis, regulariter tamen, & sapissime hoc accidit; immo hic gratis suppono, quod ita semper accidat. Hinc est, quod si veritas opinionis A, est certo probabilis, falsitas quoque ejusdem opinionis A, immo veritas opinionis B, contradictoria erit etiam certo probabilis; etenim recipiuntur, & valet illatio a veritate unius contradictorii ad falsitatem alterius; adeoque falsitas opinionis A, & veritas opinionis B contradictoriae idem sunt illative. E contra, si veritas opinionis A, est certo probabilior, falsitas ejusdem opinionis A, & veritas opinionis B contradictoriae erit minus probabilis. Demum si veritas opinionis A est certo, minus tamen, probabilis, eo ipso falsitas ejusdem opinionis A, & veritas opinionis B contradictoriae erit certo probabilior. Quare si aequalis sit probabilitas falsitatis, & veritatis, quantum crescit probabilitas veritatis opinionis A, tantum quoque crescit probabilitas falsitatis opinionis A, & probabilitas veritatis opinionis B contradictoriae: si vero veritas opinionis A sit probabilior, eo ipso tantum decrescit probabilitas falsitatis ejusdem opinionis A, & probabilitas veritatis opinionis B contradictoriae: si demum falsitas opinionis A sit probabilior, eo ipso tantum crescit probabilitas veritatis opinionis A, & probabilitas veritatis opinionis B contradictoriae. Hinc si aequè certo probabile sit, quod liceat, ac quod non liceat pingere, neutrius veritas, aut falsitas est probabilior, aut minus probabilis, sed utriusque veritas, & falsitas sunt eque probabiles. Si vero probabilius sit licere, eo ipso non licere est minus probabile. Si demum minus probabile est licere, eo ipso non licere est probabilius.

N. 48. Monco 5. accuratè tenendum, ne in praesenti a propositionibus modalibus transitus fiat ad absolutas; etenim omnes propositiones debent esse modales circa objectivam certitudinem moralem, aut probabilioritatem, aut probabilitatem veritatis opinionis;

nulla autem debet esse absoluta circa veritatem ejusdem opinionis. Aliud enim est dicere, *Est mihi moraliter certum, aut certo probabilis, aut certo probabile opinionem A esse veram*, quae est modalis; nihil enim absolute affirmat de veritate, sed unice absolute affirmat modum veritatis, seu certitudinem moralem, aut certam probabilitatem, aut probabilitatem veritatis opinionis. Aliud est dicere, *Opinio A est mihi vera*; quae propositio affirmat absolute veritatem opinionis, si ve deinde ea affirmetur ob motivum mihi moraliter certum, si ve ob probabilis, si ve ob motivum aequè, aut minus probabile, quam sit oppositum.

Hæc omnia cuique assuetudine distinguere inter propositiones modales, & absolutas evidentia sunt; sapissime enim modus propositionis, seu modalis propositio est evidenter vera; ejusdem autem dictum est saepe evidenter falsum: ex. gr. *Possibile est Petrum currere*, est modalis evidenter vera; hæc autem, *Petrus currit*, potest simul esse evidenter falsa, & simul esse possunt: ergo modalis potest esse evidenter vera; res autem dicta a modali potest simul esse evidenter falsa. Sicut ergo ex eo quod probabilitas cursus evidenter affirmetur, non inde inferri potest affirmari cursum, quia probabilitas cursus in Petro stare simul potest cum non cursu ejusdem; atque adeo simul affirmari evidenter potest probabilitas cursus, & negari evidenter cursus; nec ex veritate propositionis modalis, seu modalis valet ad veritatem propositionis absolutæ, seu ad rem in modali contentam, & modo affectam. Ita in casu nostro, ex eo quod certo affirmem certitudinem moralem, aut probabilioritatem objectivam veritatis opinionis, seu esse mihi moraliter certam, aut probabilioritatem opinionem A, non inde inferitur eam esse mihi veram. Quod enim unice affirmo, est certitudo, aut probabilioritas veritatis opinionis A, non autem affirmo veritatem opinionis A, quin mihi est evidens plurimas ex opinionibus assertis ut probabilioribus, aut moraliter certis, esse in re falsas; immo ex moraliter certis certitudine respectivâ, aut ex certo probabilioribus probabilioritate respectivâ, tot inter TT. sunt in re falsæ, quot veræ.

Nam si vera est doctrina Fogarini, quod cuilibet sua opinio debeat esse moraliter certa, ut prudenter affirmetur, & P. D. Thyrso, si quod cuilibet sua opinio debet esse libi saltem probabilior, ut prudenter affirmetur, eo ipso omnis opinio à Scoto, & Scotistis affirmata, (suppono enim affirmari prudenter) erit Scoto, & Scotistis moraliter certa, juxta Fogarini.

Fogar. & alios Certitudinistas, aut notoriè probabilior juxta P. D. Thyrsi. & alios Probabilioristas. Similiter eo ipso omnis opinio à S. Thom. & Thomistis affirmata, (suppono etiam affirmari prudenter) erit Divo Thom. & Thomistis moraliter certa, aut saltem probabilior. Cum autem alterutra ex contradictoriis necessariò sit in re falsa, eo ipso ex propositionibus contradictoriis moraliter certis, & notoriè probabilioribus tot erunt in re falsæ, quot veræ: ergo evidens est, quòd à certitudine morali, aut à probabilitate veritatis non valeat illatio ad veritatem.

Ne vero præfens Disputatio, cujus materiam à nemine in terminis agitam ex professo vidi, et si à plerisque supponatur ut vera; & non nisi ab uno, aut altero Neoterico fuerit solidè tractata, immò negata; ne, inquam, in longum protrahatur, ideo hanc materiam in plures partiar Disputationes, contentus in præfenti probare 1. & 2. conclusionem.

§. II.

Mens Authorum.

SUMMARIUM.

P. Thyrsus asserit necessarium semper judicium directum de veritate, ne peccem, & ut rectè formaliter operer, n. 53.

P. Muniessa ait, debere judicari apud se veram opinionem, quam quis sequitur, n. 54.

Idem sentit P. Eliz. n. 55.

Quid sentiat Fagnanus, Baro, & Fogarinnus? n. 56.

Quid Philaletus? n. 57.

Quid Mercorus? n. 58.

Quid alij? n. 59. 60.

Quam stent pro nostris conclusionibus? à n. 61. ad 66.

rari sub solo judicio certo de æquali probabilitate, aut probabilitate, aut certitudine morali objectivâ veritatis opinionis, omisso directo subjectivè probabiliori, aut moraliter certo.

Secundus est P. Muniessa *sim.* 6. §. 8. qui n. 69. ait, quòd quia cum judicio de probabilitate stare potest judicium de falsitate, ideo non liceat sub eo operari: at magis ad rem n. 72. ait: Ut homo bonâ fide operetur, necesse est non tantum, ut judicet, quòd opinio sit probabilis, seu prudenter affirmetur à multis doctis, sed etiam ut apud se judicet esse veram, & non falsam: siquidem pro munere regulandæ conscientiæ pluri faciendum est judicium probabile (nempe subjectivè) de veritate, quam judicium evidens de probabilitate, quia cum illo non stat judicium probabile de falsitate opinionis, cum hoc stat. Hæc P. Muniessa, qui et si velit necessarium esse judicium de veritate, ut honestè operemur, non tamen videtur opponi primæ nostræ conclusioni: nam exemplificat in judicio evidenti de probabilitate, seu de probabilitate, (per illum enim id tantum est probabile, quod est probabilius) & negat hoc satis esse sine directo probabiliori de veritate: at non negat se solo satis esse judicium evidens de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis, omisso directo subjectivè moraliter certo de ejus opinionis veritate: ergo P. Muniessa expressè non opponitur primæ, sed tantum tribus alijs assertionibus. Dixi expressè; cum enim probabilitatem cum certitudine morali, & probabilitatem cum probabilitate confundat, eo ipso quòd negat satis se solo esse judicium evidens de probabilitate, quæ juxta illum est probabilitas, hæc autem juxta eundem est certitudo moralis, consequenter implicite negat, quòd satis se solo sit judicium evidens de objectivâ morali certitudine veritatis opinionis; & ideo citavi illum tamquam contradicentem omnibus quatuor nostris assertionibus.

Tertius est P. Eliz. *lib.* 6. qu. 8. qui omnia per verum, & quidem ut in se est, dirigit, & ait, vetari, ne quis in delectu opinionum utatur hac regulâ, *Est probabilis opinio, tueri quis potest, Authore non caret*: ergo si veritas opinionis semper est necessaria, eo ipso solum judicium evidens de certitudine morali, de probabilitate, aut probabilitate objectivâ non est satis: ergo P. Eliz. omnibus nostris assertionibus opponitur. Hos tantum, & non alios reperi, qui nostram primam conclusionem negare videantur.

Nam Fagnanus, & M. Baro non negant satis

N. 52. E T si hæc materia, ut indubitata, à plerisque supposita sit, præcipuè à Probabilistis, hodie tamen non desunt Probabilioristæ, qui ei toto conatu resistunt. Reperi autem non nisi valde paucos, qui omnibus præactis conclusionibus se opponunt.

N. 53. Primus est P. D. Thyrsus *dis.* 9. qui negat bonum esse modum dirigendi conscientiam, præscindendo, an opinio sit vera, an falsa; atque adeò necesse esse ut sine dubitatione veram esse judicet opinionem, quam quis sequi intendit. Ecce necessarium asserit esse semper judicium directum de veritate opinionis, & quidem absolutum, determinatum, firmum, & fixum, (his enim terminis utitur) ut quis sine peccato formali operetur: ergo judicat prorsus illicitum operari Tom. III.

fatis se solo esse iudicium evidens de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis, suspensio omni iudicio directo subjective moraliter certo de opinionis veritate; sed unice negant satis esse iudicium certum de opinionis probabilitate; quos tamen P. Carden. *tom. 1. disput. 15. n. 246.* impugnat: ergo Fagnanus, & M. Baro non opponuntur primæ, sed tantum reliquis nostris assertio- nibus. Idem dico de Fogarino, qui etiam est Certitudinista.

P. Card.
Fogar.

N. Candidus Philaletus, etsi *qu. 5. pag. 83.* neget satis esse ad operandum iudicium de probabilitate licentiæ, quia cum eo stat iudicium de probabilitate non licentiæ, immo, ut ait *pag. 115.* quia cum iudicio de probabilitate licentiæ stat iudicium de fallitate; at tamen non opponitur secundæ, & multo minus primæ conclusioni, nam unice negat satis esse, ut operemur, iudicium de probabilitate licentiæ; non autem negat satis esse iudicium de probabilitate non licentiæ; ergo non nisi tertiæ, & quartæ opponitur.

N.
57. Philal.

N. M. Mercorus *pag. 48.* non dicit nisi quod Philaletus, ait enim, quia cum iudicio reflexo de probabilitate licentiæ stat aliud de probabilitate non licentiæ, adeoque conscientia tunc manet dubia, cum quâ operari non licet: ergo non negat primam, & secundam nostram conclusionem de sufficienti solius iudicii reflexi evidenti de objectivâ certitudine morali, aut objectivâ probabilitate veritatis opinionis, ut recte operemur; sed unice negat satis esse iudicium de æquali, aut minori probabilitate, quia cum iudicio de probabilitate licentiæ stat iudicium de probabilitate non licentiæ. Idem dico de M. Goneto.

N.
58. M. Mer.

M. Gon.

N. Tandem de aliis Certitudinistis, aut Probabilioristis idem sentio: nam Certitudinistæ non negant satis se solo esse iudicium evidens reflexum de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis; sed unice negant satis, five se solo, five non se solo, esse iudicium de quacumque, etsi maiori probabilitate; si enim per illos iudicium directum subjective probabilius non est satis, multo minus sat erit evidens reflexum de objectivâ probabilitate. Probabilioristæ autem non negant satis se solo esse evidens de objectivâ probabilitate veritatis opinionis iudiciū, (excepto P. Thyrsio, & P. Muniesiâ) sed unice negant satis, five se solo, five non se solo, evidens de æquali, aut minori probabilitate iudicium; si enim non est satis iudicium directum subjective, æquè, aut minus probabile de veritate, multo minus satis erit evidens reflexum de æquali, aut mi-

P. Thyrs.
P. Mun.

nor, objectivâ probabilitate veritatis opinionis.

Quare non nisi P. D. Thyrsius, P. Munies. N. P. Eliz. omnibus nostris quatuor conclusio- nibus opponuntur, quatenus necessitantur semper ad habendum iudicium directum, saltem probabilius, de veritate opinionis. Primæ autem nemo alius opponitur. Secundæ non nisi Certitudinistæ; si enim negant sufficere iudicium directum subjective probabilius, multo magis negare debent sufficere solum evidens reflexum de objectivâ probabilitate. Tertiæ, & quartæ non nisi Probabilioristæ; nam eò ipso quod negant licitum sequi æquè, aut minus subjective probabilem, eò magis negare debent satis esse reflexum de objectivâ æquali, aut minori probabilitate veritatis opinionis iudicium, five separatim, five unitum iudicio directo subjective æquè, aut minus probabili.

At pro nostris assertio- nibus stant 1. ferè N. omnes Probabilistæ, tum qui affirmant intel- lectum posse physice assentiri minus probabili; tum qui hoc negant, adhuc tamen tuentur licitum sequi minus probabilem, assumendo pro regulâ immediatâ conscientie ipsum iudicium evidens reflexum de licito usu cuiusvis opinionis, five moraliter certæ, five objective magis, aut æquè, aut minus probabilis de veritate opinionis.

Stant 2. quotquot pro obedientia militant N. obligando subditum, ut operetur juxta opi- nionem sui Superioris, quæ sæpe est subdito etiam post Superioris præceptum, aut consilium non tantum minus probabilis, sed falsa: in quo casu subditus si non potest assentiri physice opinioni sibi minus probabili, aut propriam sibi probabiliorem dimittere, ut sæpe accidit, regularur proximè à iudicio evidenti, quod parendum sit Superi- ori, quoties præcipit opus certò probabi- liter licitum: & quidem ita regularur ab hoc solo iudicio reflexo, quod honestum, immò obligatoriū sit exequi opus sibi certò probabi- liter, etsi minus, licitum, Superiore præci- piente, ut omne iudicium directū de veritate omittat, nam opinio directā de veritate, seu de licentiā est subdito minus probabilis; adeoque illi, vel non potest physice assenti- ri, ut plures etiam Probabilistæ docent, vel non potest licite, ut omnes Probabilioristæ docent; vel si physice, & moraliter, seu li- cite potest, non tamen tenetur, ut nos do- cemur.

Stant 3. quotquot iudicant Confessarium N. posse, immò teneri absolvere penitentem 63 consequentem oppositam suā: talis enim Con- fessor nec physice, nec licite potest juxta Proba-

SECTIO III.

Rationes prima, & secunda nostra Conclusionis.

§. I.

Rationes prima.

SUMMARIUM.

Quia nullum reflexum evidens de objectivâ morali certitudine potest esse falsum; plurima vero subjectivè moraliter certa sunt falsa, n. 67. Si daretur lex obligans ad formandum semper judicium moraliter certum, talis lex esset in damnum intellectus, n. 68.

Ex judicijs moraliter certis contradicentibus tot sunt falsa, quot vera, n. 69. 70.

Agere fero, quod judicia de re incerta inter TT. vocentur certa. Cur? n. 71.

Fictitia est talis certitudo moralis, ibid.

Quia ostendi non potest insufficientia solius judicij reflexi; immò a me ostenditur sufficientia, n. 72. 73. 74. 75.

PRobatur 1. quia ex una parte nullum judicium evidens de objectivâ morali certitudine veritatis opinionis potest esse falsum, ne quidem materialiter, nam ejus objectum supponitur evidenter verum: sed objectum judicii reflexi evidenter de morali certitudine veritatis opinionis est ipsa certitudo moralis evidenter vera: ergo judicium illud est evidenter verum: ergo nullum judicium reflexum evidens de objectivâ morali certitudine veritatis opinionis potest esse materialiter falsum. Ex aliâ parte ex judicijs subjectivè moraliter certis non tantum quodlibet potest esse materialiter falsum, cum nullum habeat ex se essentialem connexionem cum veritate, immò ex judicijs directis subjectivè moraliter certis sibi contradicentibus, etsi quodlibet suo Patrono videatur invincibiliter verum materialiter, attamen ex illis tot sunt materialiter in se falsa, quot sunt in se materialiter vera: ergo si attendatur utrumque judicium, unum reflexum evidenter verum de objectivâ certitudine morali veritatis opinionis; aliud directum subjectivè moraliter certum de veritate ejus opinionis; præponendum videtur judicium reflexum evidenter verum de suo objecto, judicio directo certo moraliter subjectivè vero de suo objecto, sæpe tamen materialiter falso. Si ergo, juxta Adversarios, judicium directum moraliter subjectivè certum de veritate opinionis est se solo regula conscientie; immò ita est se solo regula conscientie, ut juxta Certitudinistas nullum judicium, quod saltem non sit moraliter certum de veritate,

Sij possit

Probabilioritas assentiri opinioni sibi minus probabili sui poenitentis: in quo casu Confessor ad volitionem absolvendi poenitentem probabilius judicantem se non teneat restituere, ducitur, non à judicio directo sibi probabiliori de obligatione restituendi, hoc enim dicitur absolvendum non esse; rursus non ducitur à judicio directo sibi minus subjectivè probabili de non obligatione restitutionis, nam Confessor tale judicium directum concipere non potest juxta Probabilioritas; ergo unice ducitur à solo judicio evidenti de objectivâ probabilitate veritatis opinionis poenitentis, dictante eidem Confessorio licitum sibi esse absolvere poenitentem judicantem apud se ipsum probabilius, se non teneri restituere, etsi Confessor nec judicet teneri, nec judicet non teneri; immò si directe judicat, judicat teneri.

Stant 4. quotquot licitum tuerentur sequi alienam certo probabilem, tam omisso, quam retento judicio proprio; hi enim ducuntur à judicio asserente licitum sequi certo probabilem, sive omisso, sive retento judicio directo sibi subjectivè probabiliori de opinionis falsitate; ergo multo magis docebunt licitum sequi alienam certo, sibi tamen minus probabilem, omisso judicio directo sibi subjectivè probabiliori de falsitate opinionis, & omisso judicio directo sibi subjectivè minus probabili de veritate opinionis; atque adeo docebunt licitum operari sub solo judicio evidenti reflexo de certâ objectivâ probabilitate, etsi minori veritatis opinionis alienæ.

Stant 5. quotquot omnem errorem etsi materialem à proprio intellectu avertere conantur, & exquisitâ prudentiâ gaudent; hi enim in rebus incertis omne judicium directum æquè, aut minus probabile, & probabilius, immò moraliter certum suspendunt, & contenti sunt solo evidenti reflexo judicio de objectivâ veritatis opinionis certitudine morali, aut probabilitate, sive maiori, sive æquali, sive minori. Hi autem sunt Deipara, Angeli, Beati, & Viri eximie sanctitatis.

Demum adeo constans est nostra doctrina apud Probabilitas, tum apud omnes TT. ut illi quidem illam ne quidem in dubium vocent; isti autem sæpissimè resolunt dubia, sive speculativa, sive moralia per solam probabilitatem maiorem, aut æqualem, aut minorem; suspensio omni prorsus judicio directo de veritate rei speculativa, aut moralis. Plurimos autem infra daturus sum, qui simili modo reflexo utuntur, suspensio omni prorsus judicio directo de rei veritate.

Tom. III.

possit esse se solo regula, longe magis iudiciū reflexum evidenter verum de objectivā morali certitudine veritatis poterit se solo esse regula conscientie.

N. 68. Probatur 2. quia nulla datur necessitas, aut lex obligans formare semper iudiciū directum subjective saltem moraliter certum de veritate opinionis, ut licite operemur: ergo tale iudiciū directum nec physicē, nec moraliter est necessarium. Antecedens probatur: Non necessitas, quia intellectus non nisi ab evidentia objecti, non autē a morali certitudine objecti necessitatur ad assensum: ergo quātum est ex naturali suā inclinatione, intellectus non necessitatur concipere iudiciū directum moraliter certum de objecto sibi moraliter certo: ergo potest omne iudiciū directum moraliter certum suspendere; immo quātum est de se, intellectus eget voluntatis imperio, ut formet iudiciū moraliter certum, præcipue si materia cognoscatur hinc inde incerta, & advertat illud iudiciū esse posse, & sæpe esse, immo tot esse materialiter falsa, etsi invincibiliter, quot vera ex iudiciis moraliter certis sibi contradicentibus. Non lex; trahatur enim lex aliqua obligans nos, ne operemur nisi sub iudicio directo moraliter saltem subjective certo. Immo tantum abest, ut aliqua lex trahi possit, quin talis lex esset in perniciem intellectus, obligaret enim toties ad errorem materiale etsi invincibilem insitum eidem iudicio subjective moraliter certo, quot sunt iudicia certo moraliter vera, in se tamen materialiter falsa: sed hæc ex contradicentibus tot sunt falsa in se, quot vera: ergo toties obligaret intellectum ad falsum in se, etsi creditum invincibiliter verum, quoties ad verum in se: etenim intellectus non minus foedatur errore materiali, quam veritate materiali perficiatur. Quis autem negabit, quod non melius se habeat intellectus, suspendendo iudiciū subjective moraliter certum, ex. gr. de licentiā picturæ, solo contentus iudicio reflexo evidenter vero de certitudine morali licentiæ, quam concipiendo iudiciū directum subjective moraliter certum de veritate licentiæ? Fac enim, ut hoc iudiciū directum, putatum non tantum certo moraliter, sed invincibiliter in re verum, fac, inquam, ut sit materialiter in re falsum, ut esse potest, & sæpe est, utique intellectus contaminabitur materialiter ab hoc iudicio directo: contra qui illud directum suspendit, & soli evidenti reflexo de certitudine objectivā morali licentiæ innuitur, a nullo errore foedabitur. Quæ autem obligatio, necessitas, aut

lex dari potest, ut toties possim, & debeam, & contaminem meum intellectum, quoties habeo certitudinem morale?

Confirmo 1. iis omnibus argumentis, quæ plenā manu Adversarii effundunt in nos tuentes licitum usum minus probabilis libertate; quæ quidem, quātum nobis non nocent, tantum iisdem nocent; ibi enim toti sunt in dilando malo, quod ab assensu minus probabili sæpe falso derivatur in intellectum: & ideo alii ad assensum probabiliorem appellant, at irrito conatu, cum assensus etiam probabiliores subjecti sint errori materiali, immo tot sint ex contradicentibus materialiter veri, quot falsi: alii ad assensum moraliter certum confugunt, æquo quoque labore, cum ex assensibus moraliter certis contradicentibus tot sint materialiter erronei, quot materialiter veri. Si ergo ut error materialis vitetur, aliqui ex illis obligant semper ad probabilis; aliqui autem ad moraliter certum, (etsi neutrum finem assequantur, nam, ut dixi, inter minus probabiles non plures sunt in re falsi, quam veræ, sed tot, & non plures falsæ, quot veræ; totidem autem sunt tum ex probabilioribus, tum ex moraliter certis) si, inquam, ut error materialis pro viribus vitetur, aliqui ad probabilis, aliqui ad moraliter certum obligant, quia putant, falso tamen, probabilitatem magis connecti cum veritate, ut est in re, quam minorem probabilitatem; & certitudinem morale magis cum vero, ut est in re, quam probabilitatem: cur modo magni isti veritatis, ut est in re, Patroni, obligant semper, ut licite operemur, ad iudiciū directum subjective moraliter certum, cum tamen sapissimè sit in re falsum, & contenti non sunt solo iudicio evidenti de morali certitudine veritatis?

Hoc argumentum infra fufius dilatabitur, & inexpugnabile fiet exemplo Deparæ, Beatorum, & omnium eximie prudentium, qui ne materialiter, etsi sub invincibili apparentiā veri, errent, suspendunt iudicia directā, etsi moraliter certa, & ad sola reflexa de morali certitudine veri, aut de invincibili apparentiā veri appellant.

At non possum non ægre ferre, quod iudicia inter T. T. incerta, vocentur moraliter certa. Quod enim iudiciū, cui graves Theologi, nec gravis ratio contradicit, vocetur moraliter certum, facile in hoc venio; at quod iudiciū, cui graves Theologi, & gravis ratio resistit, ut passim accidit, quoties Theologi in opiniones diversas dividuntur, vocetur moraliter certum, hoc non est nisi somnium certitudinis morali. Hæc omnia

nia tamen lubens transmittio, ut tantò magis cluceat veritas nostræ conclusionis.

N. 72. Confirmo 2. Si aliqua daretur necessitas iudicii directi subjective moraliter certi de licentiâ, ut licitè operemur, maximè quia nemo operari potest, nisi sit moraliter certus de licentiâ, sed hoc ipsum, ut immediatè dixi, includit fictitiâ, & purè arbitriariam moralem certitudinem; immò toto hoc dato, hoc ipsum, inquam, est, quod in quæstionem vocatur, & à nobis negatur; dicimus enim, quòd ut quis licitè operetur, satis sit, ut reflexè iudicet evidenter, quòd detur certitudo moralis de licentiâ, seu satis sit, ut evidenter iudicet esse moraliter certum, quòd opus liceat; non autem necesse est, ut iudicet certò moraliter, quòd opus liceat: ergo.

N. 73. Confirmo 3. quia per hoc quòd quis certò moraliter iudicet opus licere, non ideo in re est verum, quòd liceat; per hoc autem quòd quis reflexè evidenter iudicet esse moraliter certum, quòd opus liceat, est in re verum, quòd liceat: hæc enim propositio est vera: Licet mihi opus, quòd certò moraliter, aut invincibiliter apparet licitum, etsi in re tale non sit: ergo finis licentiæ, & honestæ operationis potius, aut saltem equè habetur per iudicium evidens de objectivâ certitudine morali licentiæ, quam per iudicium directum moraliter certum de licentiâ: & quidem ille finis ita obtinetur per iudicium evidens reflexum de certitudine morali licentiæ, ut intellectus numquam materialiter erret: contra per iudicium directum de licentiâ sæpe materialiter errat.

N. 74. Confirmo 4. quia insufficiencia solius iudicii reflexi evidenter de objectivâ certitudine morali licentiæ; & necessitas iudicii directi subjective moraliter certi de operis licentiâ, numquam ab Adversariis probabitur. Cur enim iudicium reflexum sit insufficiens? Dicent quia necessarium est iudicium directum de honestate. At quomodo probant non satis esse iudicium reflexum de certitudine morali honestatis? immò quomodo probant ejusdem iudicii directi indispensablem necessitatem? Damus quidem, quòd solum iudicium directum subjective moraliter certum de honestate, aut de licentiâ sit sufficiens, ut quis honestè, aut licitè operetur: at negamus hoc esse semper necessarium; immò eandem sufficientiam, ut quis licitè, aut honestè operetur, tribuimus etiam soli iudicio reflexo evidenti de objectivâ certitudine morali licentiæ, aut honestatis.

N. 75. Probatur 3. iis omnibus, quæ dilatato ca-
Tom. III.

lamo daturus sum pro tertiâ, & quartâ conclusionè: si enim ad licitè operandum, satis juxta me est iudicium evidens de certâ objectivâ æquali, aut minori probabilitate licentiæ, suspensò omni iudicio directo subjective, equè, aut minùs probabili de licentiâ, multò magis satis erit iudicium evidens reflexum de objectivâ certitudine morali licentiæ, suspensò omni iudicio subjective moraliter certo de licentiâ.

§. II.

Rationes secundæ.

S U M M A R I U M.

Quia nulla datur theologica obligatio habendi iudicium directum probabilius, n. 76.

Quia honesta operatio haberi potest per solum reflexum de probabilitate honestatis, ibid. & 77.

Probatur 1. iis omnibus, quibus primam N. conclusionem probavi; hæc enim robustius urgent contra necessitatem iudicii directi subjective probabilioris de licentiâ. Nam nec ex parte intellectus datur necessitas assentiendi probabiliori, quin eget voluntatis imperio; nec ulla datur theologica obligatio, seu derivata ab aliquâ lege obligante nos, ne operemur, nisi sub iudicio directo saltem probabiliori subjective de licentiâ; & non sub solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate licentiæ: si enim talis lex datur, afferatur. Præterea honestæ operationis finem melius assequimur per solum reflexum evidens de objectivâ probabilitate honestatis iudicium, quam per directum subjective probabilius de honestate, sive unitum, sive separatum à iudicio reflexo; etenim iudicium reflexum, cum sit evidenter verum de probabilitate honestatis ut suppono, numquam inficit intellectum: at directum subjective probabilius de honestate, sive divisum, sive unitum iudicio reflexo de objectivâ probabilitate honestatis, sæpe inficit intellectum, cum sæpe sit in re fallum, etsi invincibiliter putetur in re verum.

Probatur 2. quia vel probabilitas idem N. est, ac certitudo moralis, vel non? Si est, 77. talis necessitas iudicii directi subjective probabilioris, seu moraliter certi, satis §. antecedenti impugnata fuit. Si non est, contra est; quia si quoties honestas est moraliter certa, nullam habeo necessitatem formandi iudicium directum subjective moraliter certum de honestate, multò minùs quoties honestas

S iij

honestas

honestas est tantum probabilior, habeo necessitatem formandi iudicium directum subjective probabilius de honestate. Immo sicut cum honestas est moraliter certa, satis per nos est alterutrum iudicium, nempe vel solum reflexum evidens de objectiva certitudine morali honestatis, vel solum dire-

ctum subjective moraliter certum de honestate: ita cum honestas est tantum probabilior, satis erit alterutrum iudicium, vel solum directum subjective probabilius de honestate, vel solum reflexum evidens de objectiva probabilioritate honestatis.

DISPUTATIO XXII.

De iudicij evidentis reflexi supra objectivam Probabilitatem aequalem, aut minorem, veritatis opinionis sufficientiâ, suspensio omni iudicio directo subjective probabili de veritate opinionis.

PROOEMIUM.

SUMMARIUM.

Quid dixerim? n. 1.

DD. citandi stant pro me, n. 2.

Nulla est peculiaris difficultas de sufficientiâ solius reflexi supra minorem probabilitatem objectivam, quæ non oriatur a licito usu opinionis minus probabilis, n. 3.

N. 1.  *IXI d. 21. sect. 2. §. 1. conclus. 3.* quod ne quis formaliter peccet, & ut quis formaliter honeste operetur, satis sit reflexum certum de æquali, immo de minori, ut dixi *conclus. 4.* iudicium. Hoc mihi in præfenti probandum.

N. 2. Ne autem Doctorum verba ex industria truncasse videar, fateor plura quæ ex DD. allaturus sum, probare satis saltem esse iudicium de probabilioritate, quod *disp. antec.* probavi. At simul fateor, quod plurimi textus citandi stent etiam pro iudicio de æquali, immo de minori probabilitate: hoc autem eo magis est verum, quo magis manifeste *TT.* citandi excludunt tamquam necessarium ipsum iudicium directum, sive deinde solum reflexum sit de objectiva maiori, sive de æquali, sive de minori probabilitate: etenim per hoc quod excludant directum, opponuntur Neotericis tuentibus iudicium directum semper esse necessarium.

N. 3. Addo, quod nulla sit peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de æquali, immo minori probabilitate, quæ non oriatur ex licito usu opinionis probabilis, quas tamen difficultates satis diffuse solvimus supra. Quod si licet sequi iudicium directum subjective minus probabile practice, licebit quoque sequi reflexum de objectiva minori

probabilitate practice: si verò illud non licet, nec hoc. Similiter, si licet sequi iudicium directum subjective practice probabilius, licebit quoque sequi reflexum de objectiva practice probabilioritate: si verò illud non licet, nec hoc: ergo nulla est peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de minori, aut æquali objectiva practice probabilitate, quæ non oriatur a licito usu opinionis minus, aut æquè practice probabilis subjective.

SECTIO I.

Authoritates pro tertiâ, & quartâ conclusionem, relatâ Disp. 21. sectione 2. §. 1.

§. I.

Ex mente Pontificum, & Cesarum.

SUMMARIUM.

Adrianus ex solo iudicio de probabilitate opinionis opposita processit ad solutionem matrimonij, n. 4.

Non formavit iudicium directum de veritate opposita opinionis, n. 5. 6.

Si formavit, tanto magis urgentur Contrarii, n. 7.

Si necessarium est iudicium directum, sequitur, quod Adrianus minus probabilis assensus sit, n. 8.

Adrianus videtur sub solo iudicio reflexo de probabilitate minori opposita opinionis, unum cum directo de falsitate ejusdem, processisse, n. 9. Ecclesia, & Pontifices laudant utramque contradictoriam sepe ut probabilem, n. 10. Sixtus IV. & V. & Urbanus VIII. recurrunt ad solam probabilitatem objectivam, ibid. Ex